

## Miscellanea

### Capitulum Generale anni 1717 et "Jansenismus".

N. WEYNS in *Analectis Praemonstratensibus*, XXIX, 1953, pagg. 5-66, per summa capita historiam scite textit Jansenismi in Circaria Brabantica: *De Brabantse Norbertijnen en het Jansenisme*.

Quaeri vero posset utrum necne in aliis Circariis Ordinis, praeter Circariam Brabanticam, sermo aut disceptatio fuerit de Jansenismo. Quaestionem illam èt in aliis regionibus motam esse, sequitur ex decreto Capituli Communitatis antiqui rigoris anni 1651.

Decretum illud subiungimus, uti invenitur in ms. 1772(997), Nancy, f. 197 b (in aliis non paucis antiquis manuscriptis inveniri potest hoc decretum; ex quo facto sequitur decretum istud, etiam extra Communitatem antiqui rigoris, non parum resonantiae habuisse).

Decretum in annuo Capitulo Communitatis sive Congregationis antiqui Rigoris divi Norberti Ordinis Praemonstratensis.

Viriduni in Monasterio Sancti Pauli anno 1651, diebus Aprilis 27 et sequentibus celebrato adversus doctrinam Jansenianam editum.

Ne nova et peregrina Cornelii Jansenii Yprensii Episcopi doctrina in antiqui rigoris Communitatem sive Congregationem, quae Regiam Sapientissimorum Doctorum Catholicorum tenet (?) viam, pedem umquam inferret, aditum illi severo hoc edicto ipsi Definidores interconcluserunt.

Cum Sanctissimus sacri canonici nostri Ordinis Praemonstratensis Patriarcha Norbertus pro sua erga Romanam Ecclesiam filiali obsequentia, Summo Pontifici Romano vero illius Capiti, Christi Domini in terris Vicario, firmissimo spiritu adhaerens, veritates catholicas acerrime praedicando propugnaverit, omnesque haereticas pravitates, et aliena ab Ecclesiae et Sedis Apostolicae sensu dogmata summo animi studio improbarit expugnaveritque semper; — Nos tamquam veri paternae virtutis et obedientiae alumni novam et peregrinam quae dicitur Cornelii Yprensii Episcopi aliasque huiusmodi a Sancta Sede damnatas et proscriptas reiicimus, easque ut numquam tenuimus, ita nec tenere volumus.



Quapropter Nos, Communitatis sive Congregationis antiqui rigoris S. Norberti Ordinis Praemonstratensis Vicarius Generalis, ceterique annui Capituli dictae Communitatis Definitores, omnibus et singulis Congregationis nostrae Doctoribus, Professoribus, ac Magistris, Lectoribus, Scholasticis, Concionatoribus, Confessariis, caeterisque dictae nostrae Congregationis Religiosis tam Superioribus et Praelatis quam subditis et inferioribus, ea qua fungimur auctoritate, praecipimus et praecipiendo mandamus ut Jansenianam illam doctrinam, sententiasque a communi Ecclesiae sensu Sanctissimorum Pontificum et Sacrorum Conciliorum constitutionibus, catholicarum Academiarum et sapientissimorum Doctorum sententiis et decretis alienas approbare, docere, tueri, praedicare non praesumant, sub paenis arbitrio Superiorum infligendis; peregrina enim dogmata nostra horret Congregatio, proptereaque longe ab ea peregrinum istum abesse volumus Jansenismum. Cui quidem Definitorum decreto praesentibus omnibus Capitularibus praelecto prompti omnes laetique adhaesere.

Signatum: f. Dominicus Collin, Definitor et Scriba Capituli.

Decretum istud non remansisse incognitum in aliis regionibus Ordinis, ac in Circariis et Abbatiis distinctis ab iis quae sese aggregaverant Communitati antiqui rigoris (cui alia monasteria, Capitulis generalibus non exclusis, non valde favebant) patet ex eo quod decretum in variis Archivis servatum inveniatur. Aliis citationibus omissis, sufficiat notasse hoc decretum ab abbate Tongerloensi VAN DER ACHTER in Collectione observandorum in nostro Ordine anno 1726 insertum fuisse (arch. Tong., p. 413 s.). — Decretum idem, gallice translatum, typis impressum fuit Ruremondae, anno 1651.

In Circaria Brabantica, non raro atque iterum disputatum fuit de materia Gratiae. In Capitulis provincialibus annorum 1620 et 1624 inculcatum fuit « in materia de gratia omnes humillimi Patris nostri Augustini sententiam sequantur, et ab ea, quosque aliud definierit Ecclesia, nulla ratione divelli se patiantur... ». Iterum anno 1653 de eadem materia tractatum est. Iterum anno 1718, in Capitulo provinciali; et, uti ex annotationibus abbatis Grimbergensis VAN EECKHOUT, in diario ab ipso conscripto sequitur, longa et acri disputatione praehabita, iterum capitulariter inculcatum est eidem doctrinae S. Augustini in materia de gratia inhaerendum esse... « Item ut decreta



Apostolicae Sedis tam in materia fidei, quam morum omnes reverenter suscipiant, et religiose observent ».

Hic factis prae oculis habitis, quae absque dubio multiplicari possent, si plura documenta illius aetatis nota essent, iure inquiri possit an in Actis Capitulorum Generalium Ordinis non occurrat mentio « Jansenismi » cum variis adiunctis, quae per plura decennia vitam ecclesiasticam saeculi decimi septimi et octavi ineuntis non parum turbaverunt, et occasione cuius Jansenismi, plures Praemonstratenses nominantur in scriptis illius aetatis (Cfr. N. WEYNS, l. c.).

Porro, in quantum Acta Capitulorum Generalium hucusque nota sunt, mentio Jansenismi in iis non occurrit. Similiter in scriptis Praemonstratensium de tali decreto Capituli Generalis anni 1717 sermo non fit.

Ex variis indiciis autem, constat de illa materia non parum tractatum fuisse in Capitulo Generali anni 1717.

Acta huius Capituli Generalis — anni 1717 — impressa prostant. Impressa siquidem fuerunt anno 1718, Lutetiis Parisiorum, typis J. B.-Christophori Balleri.

Praeses huius Capituli erat Abbas Generalis Claudius Honoratus Lucas de Muin (1712-1740). Secretarius vero: F. Reynal. Inter definiatores assumpti fuerunt, praeter Abbates praesentes, èt Prior monasterii Praemonstratensis, èt Prior Collegii Praemonstratensis Parisiensis, cuius nomen paulo post indicatur: P. Bruslé.

Quaestiones de Gratia cum quaestionibus connexis in dicto Capitulo generali esse consideratas, quamvis de hac re nihil appareat in Actis, deducitur ex annotationibus quae in Diariis Abbatum illius aetatis leguntur. In specie: in diario abbatis Rothensis, Hermannii VOGLER (1711-1740), et abbatis Grimbergensis, VAN EECKHOUT (1717-1747).

Abbas Vogler in Capitulo Generali, uti ex Actis impressis deducitur, iteratis vicibus quaestiones iuridicas et liturgicas tractandas et definiendas Patribus capitularibus exposuit. Ipse, de caetero, uti Abbas praecellens haberi debet. In eodem Capitulo anni 1717, abbati Hugo iniunctum fuit Bullas pontificias et omnia Ordinis monumenta in unum colligere (sess. 2<sup>a</sup>). Et ex praefatione, tomo II *Annales* (1736) ab auctore HUGO praemissa, novimus abbatem Vogler auctori Hugo validum praebuisse adiumentum. Scribit enim HUGO, l. c., III: « Reverendissimi Abbates Sueviae, sed praesertim Abbas



Rothi, Circuli Ecclesiastici Director et Moderator sapientissimus, quocum amicitiae et epistolarum commercio junctus sum intime, ille, inquam, litteris humanissimis opus nostrum laudavit, et illius lectionem fieri passim in Refectoriis pari utilitate et voluptate rescripsit ».

De Abbate Vogler, scripsit Prof. Hermann TUCHLE, in *Historisches Jahrbuch*, t. LXXII, 1953, agens de: *Zur Verehrung des heiligen Kreuzes im barocken Schwaben* (l. c., pp. 379-385). Abbas Vogler (« dieser recht tatkräftiger Mann ») speciali reverentia erga Crucem Domini ferebatur. Partem insignem SS. Crucis Romae obtinere potuit; quam partem in partes minores divisit, ut his ecclesias paroeciales monasterio Rothensi incorporatas ditaret. Particulae tales hac ratione venerunt in ecclesiis Haisterkirch prope Waldsee et Steinbach. Verum, affluxus populi ad paroecias dictas non, ut pius Abbas in votis habebat, obtineri potuit; ideo quia in singulis illis paroeciis iam multi peregrinabantur ratione statuariae notissimae B. Mariae Virginis in Haisterkirch et Deiparae perdolentis in Steinbach. Notum est in hac ultima paroecia, annis 1737-1739, circa 125.000 fideles S. Communionem recepisse.

Abbas iste Vogler, et ipse, Capitulum Generale anni 1717 adiverat.

Ineunte saeculo decimo octavo, etiam in regionibus germanicis, Jansenismus, ideaeque affines pluribus notae factae erant. Sicuti et varia quae scribebantur et defendebantur occasione Bullae Pontificiae « Unigenitus » (1713). Jure merito quaeri potest: Quid de Praemonstratensibus hac in re?

Dr. Hermann TUCHLE plures indicationes huc sese referentes, quae indirecte etiam Capitulum generale anni 1717 tangunt, refert in: *Die Bulle Unigenitus und die süddeutschen Prämonstratenser*, in *Historisches Jahrbuch*, LXXIV, 1955, pp. 344-350.

Sistit auctor in iis quae pro monasteriis Sueviae illius aetatis detexit. Plura enim manuscripta de hac materia invenit in Archivo Status in Stuttgart. (Notari potest t. III libri celeberrimi Ben. STADELHOFER, *Historia imperialis et exempti Collegii Rothensis*, Augustae Videliciorum, 2 t., de quo L. GOOVAERTS, *Ecrivains, Artistes et Savants de l'Ordre de Prémontré*, t. II, Bruxellis, 1902, p. 195, scribit: « L'auteur, à la fin du 1<sup>er</sup> volume, annonce que le 3<sup>e</sup> volume était achevé: je ne pense qu'il ait été publié », extare manuscriptum in Archivo dicto Stuttgart: ms. 159).



Sane, exspectandum erat Praemonstratenses in suis comitiis legiferis aliquid edicere debuisse de materia Gratiae tunc tantopere agitata. Etenim, ut scribit H. TUCHLE, l. c., p. 343: « Stand doch am Ausgangspunkt des ganzen geistigen Kampfes die neue Deutung, die Augustinus erfahren hatte, jener Augustinus, dessen Regel die Grundlage ihrer Lebensordnung bildete. Dazu kam, dass das Stammkloster des Ordens, wo regelmässig das Generalkapitel zusammentreten sollte, in Frankreich lag und der Generalabt wie seine besonderen Ratgeber Franzosen waren. Schon aus diesem Grunde standen diese mehr oder weniger intensiv für die gallikanischen Freiheiten ein, die sehr rasch im Kampf um die Bulle Unigenitus wieder eine wichtige Rolle spielen sollten. Es war vorauszusehen, dass das Generalkapitel des Ordens von 1717, das erste nach Veröffentlichung der Bulle, eine jansenistenfreundliche Stellung beziehen würde ».

Ex et pro Circaria Sueviae, Capitulum Generale anni 1717 adierunt Vicarius Generalis, abbas Minoraugiensis (Weissenau), Leopoldus Mauch, adiuncto secum iuniore abbate Rothensi, Vogler, « ein richtiger Barockprälat mit bau- und seelsorgerlichen und künstlerischen Interessen, zugleich ein Freund von Wallfahrten und Reliquienübertragungen ; dabei ein Mann von grosser persönlicher Anteilnahme an den theologischen Fragen » (l. c., p. 343 s.). (Huius Abbatis Vogler, exstat in Archiv Stuttgart B 488, Nr. 1524, biographia conscripta a F. Felder, in qua, inter alia, p. 139, haec referuntur: « Von ihm äusserte der Generalvikar von Konstanz einmal, er glaube, der Prälat von Rot wolle Rom plündern, so viele Reliquien schickte er ihm zur Approbation).

In Archivo Stuttgart reperiuntur descriptiones itineris abbatum Mauch et Vogler in Prémontré (Stuttgart, B, Nr. 1366 ; et Hs. 159). Una descriptio derivanda videtur ab uno ex famulis abbatum ; altera a secretario abbatis Mauch ; ea quae in t. III libri Stadelhofer (Stuttgart, Hs 159, 172-76) leguntur, videntur provenire ab ipso Abbate Vogler.

Narratur quid abbates in dicto itinere invisere potuerint ; per integram hebdomadam Parisiis remanent, « Theatrum curiositatis et vanitatis ». Parisiis ipsis notum fit, abbates Lucensem et Strahoviensem (Vinc. Wallner et Mar. Hermann), abbates Circariae Bohemicae, ex parte Imperatoris litteras accepisse quibus ipsis vetabatur ne ipsum Capitulum adirent. Abbates illi qui ex parte Circariae Hun-



garicae ad Capitulum tendere voluerant, iter non susceperant, cum iam ante suum profectum vetitum Imperatoris acceperant.

Ratio huiusmodi agendi modi Imperatoris orta erat ex eo quod Nuntius Apostolicus Vindobonensis, Spinola, declaraverat non constare quaenam fuerit mens Ordinis Praemonstratensis in Gallia in negotio Bullae « Unigenitus ». Hoc Abbatibus nostris Suevis, Wauch et Vogler, Parisiis indicatum fuit.

Ut statum rerum melius perciperent, duo Abbates nostri adierunt Collegium Praemonstratense Parisiense, et Praesidem Collegii interrogaverunt. Iste clare locutus est, et tendentias « gallicanas » indicavit et defendit. Duo Abbates vero Suevi auctoritatem authenticam et definitivam Summi Pontificis in rebus fidei energice defenderunt; addiditque abbas Minoraugiensis, Vicarius Generalis Circariae Sueviae: Si res sese habent ut Praeses Collegii dixit, effectus fructuosi ex parte Capituli proxime instantis exspectandi non sunt; si Abbas Generalis cum Ordine integro in discussionibus dogmaticis dictis, nollet se aperte sistere ex parte Summi Pontificis, serio cogitandum esset de separatione monasteriorum Germaniae ab Ordine, quod Hispani iam ad bonum finem perduxerant; talis separatio, ob rationes dogmaticas inducta, ex parte auctoritatis Romanae nullam difficultatem prae se ferret. Praeses vero Collegii, Doctor Sorbonicus, arguebat se omnino stare cum doctoribus Sorbonicis, qui suam mentem negativam de Bulla « Unigenitus » iam diu evulgaverant. Admittebat praeterea Praeses Collegii Parlamentum Parisiense iure proprio diiudicare posse quenam constitutiones Pontificiae in Gallia publicari possent. Libertates sic dictas « gallicanas » strenue defendebat.

Tales theoriae summopere displicebant abbatibus Suevis. Et nullo modo assentire voluerunt iis quae ipsis a Praeside Collegii Ordinis Parisiis proponebantur.

Die sequenti Abbates nostri Nuntium Apostolicum Parisiis, Bentivoglio, visitarunt. Die 26 Aprilis 1717, Bentivoglio de hac visitatione Sedem Apostolicam certiore fecit (Arch. Vaticanum, Nunt. Francia, 232, fol. 196 ss.). Bentivoglio abbates nostros severe allocutus est, ipsisque consilium dabat, ne ad Capitulum accederent. Per dimidiam horam apud Nuntium Apostolicum remanserunt abbates nostri, clareque locuti sunt: Fideles remanebunt — et quidem perfecte — decisionibus pontificiis; quod iam declaraverant data occasione confratribus Ordinis: « Das Schütteln an der Unterordnung unter den Papst wäre der Anfang jeder Häresie. Sie wollten nicht unter einem



schismatischen General stehen, noch mit den Franzosen vereint sein, solange diese im Irrtum verharren ». Cum Nuntius Apostolicus haec audisset, ipsis consilium dedit ut Capitulum adirent ; sperabat siquidem Abbates, tali persuasione repletos, optimas decisiones defendere posse in Capitulo.

Abbates Suevi Capitulo interfuerunt. In diario itineris ipsorum nihil dicitur de iis quae in Capitulo evenerunt. In t. III Stadelhofer (l. c., f. 175 s.) vero nonnulla indicantur. Ex iis novimus, plures Abbates Galliae proposuisse ut in Capitulo decretum ederetur, vi cuius omnes sodales Ordinis cum ipso Ordine semper doctrinae S. Augustini fideles remanerent.

Huic proposito abbas Rothensis, Vogler, respondit rationem qua hoc edictum proponere vellent, indirecte significare posse Ordinem sese opponere constitutionibus pontificiis ; quod nullo modo admitti potest. Abbas Minoraugiensis apertis verbis aliam propositionem subiecit : Multo magis proficeret bono Ordinis si Capitulum proclamaret se Bullam « Unigenitus » pie recipere ; et si omnibus et singulis sodalibus Ordinis defenderetur aliquid contra Bullam istam conscribere.

Abbates Galliae tale quid admittere volebant ; asserebant isti Ordinem tale quid non posse edicere, antequam Parlamentum Galliae de hac re decisionem tulisset.

Suevi vero iterum propositiones suas energice defenderunt. Tandem ad hoc devenit Capitulum, ut de hac re in decisionibus et Actis Capituli *nihil* ediceretur. Quod factum est.

Duobus illis Abbatibus Suevis ergotribuendum videtur quod, hac occasione, Ordo, in suis comitiis capitularibus generalitiis, non sese aggregaverit factioni « appellantium » contra decisiones dogmaticas pontificias.

Abbas Vogler die 9 Maii in abbazia redux erat ; non sine ratione speciali « Te Deum » ab ipso cantari potuit in ecclesia abbatiali ob ea quae in Capitulo obtinere et avertere ipsi datum fuerit. Nuntius apostolicus, Bentivoglio, die 25 Maii 1717, ipsi litteras gratulatorias misit ob ea quae egit in Capitulo Generali, in defensionem Summi Pontificis. De hac re, ita Bentivoglio, libenter Summum Pontificem certiore faciet.

Hucusque ea quae ex tractatione Prof. TUCHLE deprompsimus. Addit vero Tuchle, l. c., pag. 349, n. 17, Circariam Brabanticam



anno 1718, in Capitulo Provinciali decisionem tulisse se semper « in materia de gratia » S. Augustinum sequi velle ; et non constare an abbates Circariae istius a Capitulo Generali 1717 sub hoc respectu inspirati fuerint necne.

Huic quaestioni enucleandae plura elementa hauriri possunt ex Diario abbatis Grimbergensis VAN EECKHOUT (1717-1747). Van Eeckhout in suo Diario (Arch. Grimb., II, 19) insistere solet in quaestionibus iuris, theologiae, rubricalibus, et similibus quae Ordinem et confratres tunc tangebant. Cumque esset adversarius acerrimus Jansenismi, omnia sedulo notavit quae contra Jansenismum iure invocare possunt. Et in condenda forma decreti notissimi Capituli provincialis anni 1718, nihil omisit ad hoc ut decretum Capituli istius nullo modo invocari posset in favorem Jansenismi aut theorarum affinium. Ipse non interfuit Capitulo Generali anni 1717. Abbates vero e Gallia redeuntes, et qui noverant quidnam in Capitulo dictum et actum fuerat praecise relate ad illa doctrinalia quae ipsi cordi erant, in sua Abbatia Grimbergensi salutare potuit.

De Capitulo Generali anni 1717, scribit abbas Van Eeckhout, l. c., p. 56: « Indixerat D. Generalis 2<sup>a</sup> Novembris anni proxime elapsi (1716) Capitulum Generale Praemonstrati celebrandum Dominica Cantate huius anni (1717), quae erat 25 Aprilis ; at Excellmus D. Marchio de Priez, suae Maiestatis Plenipotentarius, eiusdem nomine 2<sup>a</sup> Aprilis singulis Abbatibus inhiuit, ne per se aut deputatum Capitulo interessent, tum quod in novissimo Generali Capitulo de anno 1686 ad instantiam Abbatum Nationum Germanicae locus proxime futuri Capituli designatus fuisset Abbatia Belli reditus Leodii, tum quod absentia Abbatum in Statibus Brabantiae his rerum temporumque circumstantiis minime conveniret ».

Paulo post (p. 57 s.) pergit Van Eeckhout: « Occasione Capituli generalis 23<sup>a</sup> Aprilis nos inviserunt, instantissime a me Bruxellis rogati Rdi Dni Michael Kuell, Abbas Steinfeldensis Vicarius Westphaliae, Marianus Hermann Abbas Strahoviensis in urbe Pragensi Vicarius Bohemiae, Vincentius Walner Abbas Lucensis in Moravia Vicarius Generalis Hungariae, et Amplss. D. Engelbertus Colendael Abbas Seynensis propre Confluentiam. Primus et ultimus ad Capitulum Gen. pergentes, Montes Hannoniae (Mons, prov. Hainaut) pervenerant ; at ibidem notato, vias esse difficillimas, auditoque antea Bruxellis, quod Abbatibus Belgii prohibitio, de qua supra, facta fuisset, missis ad Capitulum excusationis literis, redierant Bruxellas. Bohemus vero (abbas Strahoviensis) et Moravus (abbas Lucensis-Klosterbruck) ob-



tentis circa finem Martii a Caesare facultate et literisque commenditiis, equis cursoriis ad rhedas usi, adeoque magnis impensis, in viam se dederant, iamque in Galliam haud procul Praemonstrato pervenerant, cum per cursorem expressum Caesaris mandato submissum sistuntur, et indilate redire coguntur, id quod fecerunt, scriptis ad Capitulum literis excusatoriis. Hos omnes Bruxellis cum invenissem in domo Marchionis de Westerloo, equitis aurei velleris, instantissime rogavi, ut saltem in transitu Grimbergam nostram videre dignarentur. Acquieverunt, postridie Bohemum et Moravum Grimbergam deduxi rheda, Westphalis (abbas Steinfeldensis) in sua nos subsequentibus ». Postridie iter suum prosecuti sunt, per Mechliniam (in monasterio Monialium Vallis Liliorum), Antverpiam (in abbazia S. Michaelis), Tongerloam, et Averbodium (eorum adventus sic describitur in Diario Abbatum 1670-1723: Arch. Averb., II, 403: « 26 Aprilis. Invitatus Tongerloae, adduxi 4 abbates, germanos, Steinfeldensem, Strahoviensem, Lucensem in Moravia, et Sainensem, omnes Vicarii Generales, item rectorem Pragensem, Priorem ex Füssenich et notarium, ni fallor, Priorem Lucensem. Altera die omnes duxi Aspricollen, inde reduces sumpto prandio discesserunt; solvi equis Aspricollis 2 sol. »).

Abbas Grimbergensis, Van Eeckhout, hac occasione, diligenter eos interrogavit, quaenam esset eorum sententia theologica in materia de Gratia; quamvis nonnulli eorum faverent sententiae « praedeterminationis » gratiae, de coetero « sequerentur sententiam antijanсениam »; Bohemi potius gratiam congruam retinebant.

7<sup>a</sup> Maii eiusdem anni abbas Van Eeckhout abbatem Knechstedensem, e Capitulo redeuntem, Grimbergae salutare potuit. Qua occasione, « asseruit Suevos gratiam congruentem, scientiamque mediam constanter tenere, ut duo illi Abbates — si bene retineam — Minoraugiensis et Rothensis — in hoc ipso Generali Capitulo sese opposuerint petitioni Procuratoris generalis Ordinis nostri in Curia Romana..., Joannis Ignatii Backx, ibidem Praesidis Collegii S. Norberti, qui per literas Capitulum rogaverat (in margine: idem postea confirmavit Abbas Cuissiacensis, Grimbergae, die 14<sup>a</sup> Junii), ut omnes Ordinis nostri scholae theologicae Capituli decreto adigerentur ad sequendam sententiam SS. Augustini et Thomae, ut adversariis doctrinae nostrae suam appellare lubet: huic inquam petitioni se opposuerunt, dicentes se videre, quo haec tenderent, scilicet ad introducendam gratiam quam per se efficacem appellant, a quo dogmate ipsi eorumque Circariae prorsus essent alienae. Unde nec quid-



quam hac in parte decretum fuit, sed et si fuisset, intacta permanisset sententia nostra, quam tam vere Augustino et Thomae opinamur conformem quam Tridentinis Pontificiisque decretis in causa Janeniana... » (l. c., p. 59).

Ex quibus, ni fallor, constat ea quae pertractata erant in Capitulo Generali anni 1717, omnino nota facta esse abbatibus Circariae Brabanticae ; et influxum habuisse in elaboratione non facili decreti Capituli provincialis Brabantiae anni 1718 ; in quo decreto duo elementa simul iuncta inveniuntur : Praemonstratenses fideliter sequantur, potissimum in materia de Gratia, sententiam humillimi Patris S. Augustini ; additur vero insuper decreta pontificia de eadem materia reverenter ab omnibus suscipi debere et religiose servari.

Ex iis quae ab abbate Van Eeckhout referuntur in suo Diario de decreto illo lato in Capitulo provinciali anni 1718, constat Reverendissimum Generalem (qui praefuerat Capitulo Generali anni 1717) aegerrime tulisse edictum Capituli provincialis de decretis pontificiis in materia gratiae reverenter suscipiendis et religiose servandis. Notat Van Eeckhout, l. c., p. 98 s. : « Finito Capitulo restabat petenda eiusdem confirmatio ab Illmo Dno Generali, quam spartam obivit R. adm. D. Rolandus de la Haye, Praepositus Vallis S. Catharinae, assumpto secum in socium Dno N. Bode, Lectore Tongerloensi. Discesserunt Praemonstratum circa festum Omnium Sanctorum, et equis cursoriis usi spatio 8 vel 9 dierum negotium istud confecerunt... A dicto Illmo Dno perhumaniter excepti, postridie illi praelegerunt Capituli decreta, quae magnopere eidem placebant, praesertimque laudabat, quae pro recommendatione doctrinae S. P. Augustini dicuntur ; at ubi mox audivit mandari, ut decreta S. Sedis Apostolicae in materia fidei et morum reverenter suscipiantur et religiose observentur, tonum mutavit, clare ostendit, eam decreti partem sibi displicere, quin declaravit pro eadem parte non approbandam. Cumque nihilominus caetera praelegi vellet, abnuit Dnus Praepositus deputatus, declaravitque, se ab Ampliss. DD. Abbatibus in mandatis habere, citra approbationem reverti, si in ea decreti parte vel apicem mutare Illmus Generalis vellet. Id quod maturius postea considerans Illmus Generalis, meritoque veritus magnam hac in re sequelam, decretum, ut jacebat, approbavit, itaque tacite suos Sorbonicos et inter eos suum Collegii Parisiensis Priorem damnavit, qui Constitutioni dogmaticae contra errores Quesnelli usque hodie tantopere refragantur, ut contra Apostolica monita et minas obduruisse videantur... Omnia ergo decreta approbavit ».



Tandem notat Van Eeckhout, Dominum Generalem, cum anno 1716, visitationem perageret in Circaria Brabantica, coram Excellmo Archiepiscopo Mechliniensi declarasse se Constitutionem apostolicam « Unigenitus » approbare non posse. « Qua in re, ita Van Eeckhout, l. c., p. 99, ut mitissime dicam, nemo non prudentiam desideravit ».

Illustr. D. Generalis Lucas de Muin vero rationem suam agendi postea immutavit. Abbas Van Eeckhout, l. c., p. 252, lepide notat: « Hoc anno (1729) mense februario convenit me Lector Tongerloensis ex parte sui Abbatis, Vicarii nostri Generalis, qui hoc a Generali ipso in mandatis habebat; requirens, ut subsignarem formulario cuidam acceptationis Bullae: Unigenitus. Id feci libentissime — quod rem ipsam spectat — sed libenter propter quasdam formularii expressiones » (Id est, id quod in formulario edicitur de magisterio S. Pontificis doctrinali in materia fidei et morum; iuxta doctrinam clare propositam a S. Patre Augustino).

J. B. VALVEKENS, O. Praem.

### Der Codex Teplensis.

Allen Besuchern des Stiftes Tepl wird der wunderbare Barockbau der Stiftsbibliothek in steter Erinnerung bleiben. Abt Helmer schritt bald nach seiner Wahl im Jahre 1900 an die Ausführung eines alten Planes, an die Kirche einen eigenen Gebäudeflügel für die Bücherei, das Archiv und die Sammlungen anzubauen. Die Bibliothek fasste im grossen Saal und dem Büchermagazin über 80.000 Bände aus allen Wissensgebieten. Dazu kamen die wertvollen Erstdrucke (Inkunabeln und Paläotypen, zusammen 677 Bände) und etwa 400 handschriftliche Bücher. Die älteste Handschrift ist ein Poenitentiale mit einer althochdeutschen Beichtformel aus der Zeit Ludwigs des Frommen, geschrieben um 820. Es ist ein Denkmal von grösster sprachwissenschaftlicher Bedeutung, genannt die « Erste Baierische Beicht ». Am bekanntesten ist aber in der wissenschaftlichen Welt der sogenannte « Codex Teplensis ».

Die Tepler deutsche Bibel, die in der literarischen Welt « Codex Teplensis » genannt wird, ist eine Pergament-Handschrift von 315 Blättern und enthält das ganze Neue Testament, hier genannt: die schrift des newen gezeuges. Der Codex wurde Ende des 14. Jahrhunderts geschrieben, ist also eine deutsche Bibelübersetzung über hundert Jahre vor Luther. Gleich in den ersten Zeilen sehen wir